



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XI. Vtrum Virtutes Theologicæ augeantur per suos actus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

secundum se; sed manifestè addit; Fidem, quæ per Charitatem operatur, hoc est, Fidem formatam, supponendo utique iam ab ipsis haberi Fidem informem. Deinde id ipsum, quod iam habetur peti potest, ut melius, & perseveranter habeatur, quo pacto petitur à iustis Charitas.

Art. 2. Iam in Clementina illa de Sum. Trinit. non dicitur posse conferri in Baptismo; sed conferri de facto omnibus, tam parvulis, quam adultis, Gratiâ, & Virtutes. Admittunt autem aduersarij, nec negare possunt, non conferri in Baptismo Gratiâ, & Virtutes, quoad primam infusionem; sed tantum quoad augmentum, quando tempore antecedenti præstitit in Baptizato actus Charitatis. Dicatur ergo similiter de habitu Fidei, & Spei, quando præstitit actus earum virtutum; & accipiatur Decisio illa, de collatione Gratiæ, & virtutum cum præfatione à prima, & secunda; & cum distributione accommodata iuxta præsentem dispositionem, & indigentiam cuiusque baptizati.

Art. 3. Denique D. Thomas loquitur de similitudine, & connexione Virtutum in ratione Virtutis; quam ratonem sine Charitate habere non possunt; non verò in ratione qualitatis. Quæ distinctio est familiaris S. Doctore, & notissima in eius schola; & nisi eo modo intelligatur, contradicet aduersariis, etiam & sibi; quia affirmat eam similitudinem, & connexionem vniuersaliter absque vlla exceptione; ac proinde inclusa secunda, etiam hominis antecederet fidelis iustificatio: In qua tamen certum est præexistere Charitati, habitum Fidei in ratione qualitatis, saltem ut plurimum. Contradiceret præterea sibi specialiter, quatenus 2. 2. q. 6. ar. 2. ad 3. disertè docet, Aliquando infundi F. d. m. ante Charitatem. Infusio enim simpliciter; & absolute dicitur inter Scholasticos, de habitu potius, quam de actus; & actus Fidei non aliquando, sed semper, aut ferè semper antecedit Charitatem etiam tempore.

Ad 2. Dicitur est supra quæst. 8. Gratiâ Sanctificantem esse primam radicem, & habere rationem naturæ respectu Virtutum omnium infusarum positivè, non verò negativè; ita ut sine ipsis nunquam illa existat; existant tamen aliquando aliquæ Virtutes sine ipsa, ex natura rei. Idque confirmatur vltèrius, quia nisi hoc dicatur, dicendum est tam frequenter, & ordinariè contingere miracula, quam frequens, & ordinarium est, ut peccent lethaliter, qui fuere iusti, quin amittant Fidem, & Spem. Toties enim hi habitus perseverarent miraculosè absque sua prima radice, ac velut natura, & substantia, cuius sunt velut proprietates connaturales. Licet autem non vereantur Card. de Lugo, & Ripalda admittere istam tantam frequentiam miraculorum subsequenter lege invariabili ad existentiam solam peccatorum, durum tamen est, & contra communem persuasionem, rationemque miraculi, ut admittatur, præsertim pro remissione, seu non infictione poenæ debitæ peccato personali, absque vlla satisfactione, aut dispositione ex parte peccatoris, & cui non displiceat, oportuisse, ut Deus conferret in homine peccatore habitus Fidei, & Spei, sine Charitate, usque adeò frequenter: & eos nihilominus habitus, cum sint proprii hominis peccabilis, non esse tales, ut connaturaliter ita conservari possint, cum Providentia diuina vnicuique pronideat accidentia ex sua natura disposita ad omnem eventum, pro quo oportet, ut illi insint, & inseruiant.

Ad 3. Admittunt sequelam Coninck, & alij, nec in ea apparet magna aliqua absurditas: Negatur tamen melius, quia actus disponens ad habitum Fidei consistit in indivisibili, secundum conceptum dispositionis. Quia quilibet actus Fidei repugnat cuilibet, etiam

minimo recessui ab auctoritate, & revelatione diuinâ, ideoque inducit summam hominis vniorem cum illis. Ratio autem meriti de condigno, quæ sola præterea superest, potens inducere infallibiliter augmentum in principio, aut progressu, nulla dari potest sine Charitate. Idem dicitur in modo de Spe. De dispositione autem Charitatis, est longè diuersa ratio, & liquet ex dictis quæst. 7. ad 2. & 3. Ergo habitus Fidei, & Spei, tametsi existere seorsum possint absque Charitate, augmentum tamen nullum nasci possunt absque augmento Charitatis.

Ad 4. Cum Virtutes morales non versentur immediate circa Deum, non continent in se directè, & immediate vniorem Dei cum homine, ideoque non infunduntur à Deo, sicut neque conferuntur dependentè à dispositione peculiari in ordine ad ipsas. Unde nulla est paritas pro Fide, & Spe, ut apparet ex dictis in hac quæstione, & quæst. 8.

Ad 5. Esto repugnet ex natura rei Virtus intellectiva practica etiam accidentalis, absque aliqua appetitiva, circa idem obiectum; non tamen repugnat, ut sit absque aliqua alia, tametsi maxime sibi proportionata, pro aliquo tempore: sicut nec repugnat Virtus appetitiva naturaliter separabilis pro aliquo tempore ab aliqua intellectiva sibi secundum se maxime proportionata; ut patet in Charitate destituta lumine gloriæ, dum adest Fides. Est autem æqualis indifferentia physica habitus Fidei ad sola auxilia actualia pro actibus Spei, & Charitatis, quorum consortium nunquam illi negatur, suborta opportunitate operandi, & ad habitus Spei, & Charitatis impediibiles peccatis, aut indispositione non impediuntibus habitum Fidei.



QVÆSTIO XI.

Vtrum Virtutes Theologica augeantur per suos actus?



IDEVR non augeri. 1. Quia perfectio Virtutis Theologicæ consistit in indivisibili; in eo videlicet, ut feratur in Deum super omnia, per omnes suos actus, cui modo attingendi, obiectum nulla vltèrius perfectio superaddi potest. Repugnat ergo, ut virtus Theologica augeatur.

2. Si augerentur Virtutes Theologicæ per suos actus, minuerentur per actus oppositos; utpote tantumdem valentes nocere, quantum illi prodesse possunt. Non autem minuuntur per actus oppositos; sed vel penitus destruantur, si actus sint graviter peccaminosi, vel in eodem statu permanent, si actus sint leviter peccaminosi, ut dictum est quæst. 6. Ergo neque augentur per proprios actus.

3. Omnes Virtutes infusæ sunt connexæ mutuo, quoad gradus intensiōis. Ergo non possunt Virtutes Theologicæ specialiter augeri per proprios actus, potius quam per actus Virtutum moralium.

Art. 1. Resp. Certum est ex fide, Virtutes Theologicas esse capaces augmenti, atque de facto augeri, desinente id apertè Tridentino ex clarissimis Sacrae paginæ testimoniis, & precibus Ecclesiæ sess. 6. cap. 10. necnon cap. 7. & can. 32. Istud porro augmentum duplici ex capite unusquisque nascitur. Nimirum ex dispositione præeunti ad infusionem virtutum; & ex cooperatione consequenti ad eandem. Quod enim quilibet melius, & ferventiùs, aut disponitur ad istas Virtutes, aut iisdem iam habitis cooperatur, eò maius nascitur incrementum iustitiæ, & Sanctitatis,

Xx 4 idest,

ideſt, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ ſunt ipſa Juſtitia, & Sanctitas, aut certè ſunt conuertibiles cum ea. Quæ omnia conſtant clarè ex citat. cap. 7. Concilij.

Art. 2. Ex primo capite puræ diſpoſitionis, non poſſunt crefcere directè habitus fidei, & ſpei, ob rationem inſinuatam quæ præced. ad 3. Poſſunt tamen crefcere indirectè ob incrementum Charitatis, cuius diſpoſitio etiam ſub conceptu formali diſpoſitionis poſteſt eſſe maior, & minor, ob vniuerſaliorem, aut minùs vniuerſalem adhæſionem ad bonitatem, complacentiamque diuinam, atque augmentum Charitatis habet ſibi deuinctum augmentum reliquarum Virtutum, vt minimùm, æquale. Ex ſecundo capite operationis, & meriti ſubſequentis ad Gratiã Sanctificantiẽ, omnes virtutes inſulæ crefcere poſſunt, & crefcunt de facto, cum iuſta proportionẽ ad ipſa merita. Conditiones autem ad hunc effectum requiſitæ in actibus meritoriis quoad eorum intenſionem comparatam cum intenſione præexiſtenti habituum, & quoad alia prædicata, pertinent ad quaſtiones de merito, & inopportunè ingererentur in præſenti.

Art. 3. Eſt, & aliud quoddam non omninò proprium, & peculiare huius loci, quod tamen expedierit breuiter exponere. An ſcilicet actus Virtutum Theologicarum augeant ipſas actiuitate ſua phyſica, ad eum modum, quo habitus Virtutum naturalium augentur phyſicè, ac intenduntur per ſuos actus. Dicendum verò eſt, n. quaquam ita augeri, nec paritatem valere. Quia ſanctificatio noſtra, & vnio ſtabilis, ac permanens cum Deo, quam ſemel atque iterum dictum eſt perfici per iſtos habitus, eſt vnio cum ipſo vniuerſalis, quoad omnia, & ſingula eius prædicata, quoad omnes, & ſingulos ipſorum reſpectus intentionales: ita vt per habitum Fidei poſſimus elicere tùm actum, quo ſubmittamus intellectum omni reuelationi diuinæ ſub hoc conceptu vniuerſaliſſimum actus, quibus amplectamur ſingulas ſeorſim reuelationes diuinas tam actu exiſtentes, quàm abſolutè poſſibiles, reuerenturque auctoritatem diuinam, quatenus perficit infinìtè ſingulas terminationes liberæ, quibus actu reuelat, & reuelare poſteſt. At nullus actus Fidei habet iſtiuſmodi vniuerſaliſſimè perfectionis reſpectu omnium diuinarum reuelationum exiſtentium, ac poſſibilium. Quod patet primò per experientiam, quæ quilibet conſciit ſe non poſſe ſimultanè complecti omnes articulos de facto reuelatos, niſi confuſè ſub conceptu communi, & vniuerſali. Deinde quia non proponuntur de facto omnes reuelationes poſſibiles, nec fieri poſteſt, vt omnes ſibi inuicem coexiſtant, cum aliqua poſſibilium ſint de contradicitoriis.

Art. 4. Eadem prorsus ratio eſt ſperandorũ, & ſperabilium, ſeu promiſſionum diuinarum exiſtentium, & poſſibilium. Nec eſt longè diuerſa ratio de Charitate. Quia omnes, & ſingulæ perfectiones diuinæ amabiles per illam ratione ſui, quatenus tales ſunt, nulli intellectui creato ſimultanè innotefcere poſſunt omninò, diſtinctè, & clarè, ideoque nullus actus Charitatis omnes illas ſimultanè amplecti poſteſt, eodem illo modo. Et tamen nulla eſt perfectio diuina, quam non poſſit amplecti habitus Charitatis, formaliter, vt diſtinctam ab omnibus aliis. Quælibet ergo Virtus Theologica habet maiorem amplitudinẽ perfectionis, & maiorem vniuerſaliſſimè perfectionem, quam poſſit habere vllus actus pertinens ad eandem virtutem. Patet autem, quod eſt anguſtioris ſphæræ, & perfectionis magis limitatæ, non poſſe vilo pacto eſſe cauſam efficientem eius, quod in eodem genere habet maiorem amplitudinem, & illimitationem. Quia non poſteſt effectus ſuperare ſuam cauſam, quoad eam perfectionem, & rationem formalem, quam habet dependenter ab eius influxu, & participatione.

Art. 5. Nec obſtat, omnes actus cuiuſque Virtutis Theologicæ eſſe eiudem inſimæ ſpeciei; ideoque videri ex quolibet eorum reſultare poſſe habitum contentium perfectionis conuenientis quibulvis aliis actibus eiudem virtutis. Non, inquam, obſtat, quia licet ſint eiudem inſimæ ſpeciei Theologicæ, hoc eſt quoad quantitatem perfectionis, & æſtimabilitatis, ac conducentiæ in vltimum finem, quæ eſt propria conſiderationis Theologicæ, quæque eſt inuariabilis in eiulmodi actibus, ob æqualem omnium, & ſingularum perfectionum diuinarum, eandemque inſinitatem, & ob modum illas attingendi vniuerſaliter vniſormem in vnaquaque virtute: Diſtinguuntur nihilominus ſpecie logicè, & metaphyſicè: hoc eſt quoad capacitatem diuerſarum, & longè inter ſe diſſimilium abſtractionum, & prædicationum, cuius conſideratio pertinet ad Logicum, & Metaphyſicum, quæque eſt innegabilis in eiulmodi actibus propter maximam inter ſe diuerſitatem, ac diſſimilitudinem diuinarum perfectionum, quatenus ſubſunt præciſionibus noſtris concipientibus illas relatè ad diuerſa, & longè inter ſe diſſimilia connotata. Qua ratione nemo dubitare poſteſt, quin ſint magis ſimiles inter ſe duo actus tendentes ad iuſtitiam diuinam, aut Sapientiam, quàm actibus, qui tendunt ad Miſericordiam diuinam, aut Omnipotentiam.

Art. 6. Maniſeſtum autem eſt, quemlibet effectum eſſentialiter præſupponere in ſua cauſa non ſolum tantam perfectionem, quanta ſibi conuenit; ſed etiam qualis ſibi conuenit, atque in ipſo ſine formaliter, ſine eminenter continetur; atque maiorem quamlibet vniuerſaliſſimè cæteris paribus, arrogare ſibi ex celſum aliquem peculiariſ perfectionis. Igitur habitus Theologicus per ſe inſuſus, continens in ſe eminenter, ſeu æquinoce perfectiones, quales conueniunt omnibus, & ſingulis eius actibus inter ſe valde diſſimilibus, iuxta dicta quæ 3. à nullo eorum procedere vlatenus poſteſt tanquam à cauſa efficienti; vel quoad ſubſtantiam ſuam, vel quoad aliquem, aut aliquos intenſionis gradus. Ob rationem contrariam habitus naturales procedere poſſunt efficienter ab actibus, qui præeunt ad illorum exiſtentiam, & intenſionem. Quia videlicet ſunt omninò illis commenſurati, quoad quantitatem, & qualitatem perfectionis ſibi conuenientis, & quoad totam eius qualenicumque amplitudinem.

Art. 7. Variæ aliorum rationes pro iſto diſcrimine conſtituendo, quæ non apparent ſatis ſufficientes, videri poſſunt inter alios apud Coninck, & Ripandam. Itaque diſpoſitiuè tantum, ac meritorie augeri poſſunt per ſuos actus Virtutes Theologicæ, aliquæ habitus per ſe inſuſi. Inquam verò, per ſe inſuſi, quia actus quilibet ſupernaturales produciunt phyſicè habitus ſupernaturales, eiudem ſecum limitationis, ac ſphæræ, non ſecus atque actus naturales. Sed de hoc alia.

Ad 1. Perfectio virtutis Theologicæ, eſto conſiſtat in indiuiſibili quoad apprehenſionem, & prælationem ſui obiecti reſpectu aliorum, certè non conſiſtit in indiuiſibili, quoad intenſionem: quas duas rationes eſſe inter ſe diuerſas, nec mutuo inter ſe connexas conſtat ex quæſt. 4. præſertim ad 4. ſunt igitur virtutes iſtæ capaces augmenti, quoad intenſionem.

Ad 2. Quod opponitur intenſioni Virtutis Theologicæ, quoad intenſionem eius iam præhabitam, opponitur etiam, & eſt incompoſſibile cum eadem quoad ſubſtantiam, propter vniſormem adhæſionem huiusmodi virtutis, quoad omnes ſuos gradus reſpectu Dei ſuper omnia, & quælibet grauiter aduerſantia ei-dem, vt liquet ex eadem quæſt. 4. & ex quæſt. 6. & 7. At non omnes actus boni valentes inducere virtutem quoad ſubſtantiam, ſunt eo ipſo ſufficientes ad inducendam

inducendam quamlibet eiusdem intensionem. Non igitur est iusta comparatio.

Ad 3. Virtutes Theologicae augentur specialiter per proprios actus in ratione dispositionis, ut patet; quoad rationem meriti, esto valeat paritas.

QVÆSTIO XII.

Vtrum detur aliquis ordo rationis inter Virtutes Theologicas?



IDEVR nullum dari. 1. Quia ordo actuum, & habituum nascitur ex ordine obiectorum: obiectum autem virtutum Theologicarum est vnum ac simplicissimum, nempe Deus: inter cuius præterea formalitates nullus est ordo virtualis ex parte obiecti, ut nobis quidem videtur, & dicitur in Quæstionib. de Deo. Ergo inter Virtutes Theologicas, & eorum actus, nullus esse potest formalis ordo rationis.

2. Ex vna parte Fides dirigit Spem, & Charitatem, iuxta illud; *Fides quæ per Charitatem operatur.* Operatur enim etiam, licet non vsque ad eam per Spem. Ex alia parte, Charitas est radix omnium virtutum, iuxta illud ad Ephes. 3. *In Charitate radicati, & fundati.* Et hoc ipsum conuenit Spei post Charitatem. Ergo nulla ex his virtutibus est simpliciter prior quam alia, siue re, siue ratione, sed qualibet earum est prior, & posterior aliis duabus secundum quid.

Art. 1. Resp. Inter quolibet duo illud est ratione prius alio, à quo non valet subsistendi consequentia ad aliud, cum valeat & conuerso, ut dictum est in Logica. Dictum autem est nuper quæst. 10. Fidem posse esse sine Spe, & Charitate; & Spem similiter sine Charitate, cum neque Charitas sine Spe, neque vtræque sine Fide esse possit. Igitur Fides est prior ratione, quam Spes, & Charitas; & Spes quam Charitas. Confirmatur, quia habitus concipiuntur in ordine ad actus suos, atque actus Fidei sunt priores natura, & ratione, quam actus Spei, & Charitatis: Natura quidem, quia motus appetitiuus nequit tendere nisi in bonum præapprehensum modo sibi congruenti. Similiter actus Charitatis præsupponit actum Spei. Quia vnusquisque amat bonum, quatenus apprehendit illud esse bonum suum. Per hoc autem, quod sperat se bonum ab aliquo consequi posse, incipit reputare ipsum, in quo Spem habet, quoddam bonum suum. Vnde ex hoc ipso, quod sperat de aliquo, procedit deinde ad amandum ipsum ex Charitate, ut dicit D. Th. 1. 2. q. 62. ar. 4. Ergo Fides est natura prior quam Spes, & Spes, quam Charitas. Idem autem est ordo rationis, quia hic ordo sequitur ordinem naturæ, nisi forte aliunde impediatur, quod in præsentia non contingit. Exponenda itaque erunt istæ virtutes eo ordine, quo numerantur ab Apostolo dicente. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas.*

Ad 1. Quod est in se simplex, contingit esse multiplex ratione, & inde consequenter fundare ordinem rationis inter alia, quæ referuntur ad ipsum, iuxta diuersa connotata, ut apparet ex modo dictis, & ex quæst. 3.

Ad 2. Charitas est radix, & forma cæterarum omnium virtutum in esse virtutis, & quoad ordinem perfectum ad vltimum finem, ut dicit D. Th. loco nuper indicato: non verò in esse qualitatis, & secundum conceptum proprium cuiusque virtutis, quoad ea, quæ specialiter sibi conueniunt.

Incipit secunda pars de Fide.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum detur Fides, qua Deo creditur?



IDEVR non dari. 1. Quia implicat dari fidem, qua credatur nihil dicenti, tam scripto, quam viva voce. Deus autem neutro modo quidquam dicit. Quia quæcumque spectant ad fidem nostram, scripta sunt, & promulgata per homines. Ergo repugnat Fides, qua de facto Deo credatur.

2. Apostolus ad Rom. 10. 15. describens originem, & munus fidei. *Quomodo ait, credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ergo tota fides adhibetur Prædicatoribus missis, quia hi soli audiuntur.

Art. 1. Resp. Plures sunt huius vocis *Fides*, acceptiones apud Sacros, & prophanos scriptores; nempe pro fidelitate, fiducia, promissione, adimplentione promissionis, passiva cuiusque existimatione circa eius auctoritatem, & constantiam in promissis; dictam ne conscientia, & similibus, ut ostendunt Valentia, & alij communiter in principio harum quæstionum. Cæterum in præsentia usurpatur à Theologis promiscuè pro assensu, quo quis credit alteri loquenti, id est, pro habitu, & actu intellectus, quo quis iudicat de re aliqua, prout sibi proponitur per locutionem alterius; mouente ad ita iudicandum auctoritate loquentis. Inquam mouente, quia si feratur de re iudicium conforme quidem dictis alterius, non tamen ob auctoritatem dicentis; sed quia aliunde appareat rem ita se habere prout dicitur, talis actus non erit Fidei, nisi materialiter respectu eius loquentis; nec proprie dicitur ei credi, sed tantum credi, quod ab eo dicitur.

Art. 2. Hinc Fides Theologica, quam, Fidei nomine, absolute semper intelligunt Theologi in præsentia, dicitur promiscuè tam actus, quam habitus assentiendi Deo loquenti, propter auctoritatem eiusdem; ita ut credatur non solum, quod ab eo dicitur; sed ideo credatur, quia dicitur ab ipso. In qua tamen causali nondum determinamus, an sit de ratione Fidei Theologicae, ut credatur, quod dicitur à Deo, hac præcisè de causa, quia dicitur ab ipso. An verò sufficiat, ut credatur, quia dicitur ab ipso; simulque ob aliquod aliud motiuum partialiter mouens ad credendum. Fieri nimirum potest, ut quis credat duobus idem conformiter affirmantibus, neutri adhibiturus fidem, ex vi præsentis actus, & dispositionis animi, si vterlibet non innaretur testimonio alterius; & nihilominus talis assensus verè habet rationem Fidei, respectu vtriuslibet eorum. Igitur, quia controuersum est, an hoc modo simul cum Deo aliquid etiam creatum immisceatur in assensu præstito reuelationibus diuinis, solum sumitur Fides, pro nunc, ut abstrahens ab habitu, & actu assentientibus diuinæ locutioni, & rebus per eam significatis: tum præcisè quia dicuntur à Deo; tum quia simul adiungitur aliquod motiuum creatum.

Art. 3. Dari de facto fidem saltem actualem alterutro ex his modis, assentientem, seu credentem Deo, certissimam, & manifestissimam pro Catholicis probationem habet ex sacris literis, Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.* Ad Galat. 4. *Neque enim ego ab homine accepi illud,* neque